



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**


Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

XXIII. An immunitate priuetur, qui committit crimen læsæ maiestatis
humanæ?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

- quos citat, & sequitur Sanctarellus in tract. de heresi, cap. 60. dub. 4. num. 21. Felinus in cap. cum sit, de foro com- per. Alexander in l. Titia, num. 13. ff. solut. matrim. Dec. in cap. 2. num. 24. de iudic. in fin. Tusch. verb. Index Eccle- siasticus, concl. 446. num. 4. Barbosa in c. l. Titia, num. 82. & in Collect. tom. 3. lib. 1. tit. 2. ap. 18. num. 9. Moura de ensal. sect. 3. cap. 1. num. 34. & Farinac. de ba. es. 3. 18. §. 4. num. 101. contra Cevallos part. 2. quæst. 56. n. 39. Seraphin. Freitas in 3. edit. de conf. ff. solut. 9. §. num. 86. & Percir. de manu regia, part. 2. cap. 29. num. 4. cap. 43. num. 4. cap. 44. num. 14. cap. 50. num. 16. ap. 2. num. 41. & cap. 63. n. 18.
- 19 & 19. Quamvis hic, ubi pro parte affirmativa multas rationes adduxerit, quod scilicet quæstio facti crimi- nis heresis non sit magis spiritualis, quam quæstio facti aliorum spiritualium, de quibus Iudex secularis de facto cognoscit, propterea est causa beneficialis, matri- monialis, &c. & quod cognitio de quæstione facti non sit proprie, si contingat Iudicem secularem in hoc casu velle se immiscere, possit à Iudice Ecclesiastico inhiberi, ne procedat. Vide quæ dicebantur c. 8. d. b. 26. cap. 10. dub. 2. sect. 2. & c. 14. dub. 9. & 10.



DVBITATIO XXIII.

An immunitate priuetur qui committit crimen læsæ Maiestatis humanæ.

SECTIO I.

Dubitationis Resolutio.

SUMMARIVM.

- 1 Committens crimen læsæ Maiestatis in personam Principis, non quidem spectato iure communi, sed tantum constitutione Gregoriana, priuatur immunitate.
- 2 Delictum læsæ Maiestatis in personam Principis est atrocissimum.
- 3 In crimine læsæ Maiestatis puniuntur affectus, effectus non sequuntur, & bona acquiruntur filio: potest de eo cognosci post mortem, & rei memoria damnari. Explicatur quinam, & quando committentes crimen læsæ Maiestatis priuentur immunitate Ecclesiæ.
- 4 Filij ob crimen læsæ Maiestatis excluduntur a suc- cessione parentum, & aliorum consanguineorum, licet solum parentes tale delictum commiserint.
- 5 Filij reorum læsæ Maiestatis puniuntur magis, ac filij hereticorum.
- 6 Filij hereticorum secundum probabiliorum opinionem Doctores succedunt ex testamento, & ab intestato ascendentibus, consanguineis, & extraneis Catho- licis.
- 7 Limita quod si de tempore commissi delicti hereditas matris, vel auitæ sit filio delata, filius ea non priua- tur ex crimine Patris, quia iam habet ius quæstum ad illam.
- 8 Amplia hanc limitationem procedere etiam si nondum cæperit rei possessionem.
- 9 Filia reorum læsæ Maiestatis excluduntur ab eorum successione, licet non priuentur legitima in bonis paternis, quia filia ob sexus infirmitatem minus ausura creditur, quam mares.
- 10 Filia reorum læsæ Maiestatis non priuantur sicut filij successione aliorum consanguineorum & extraneo- rum.
- 11 Filij, & filia reorum læsæ Maiestatis licet priuentur successione parentis, non priuantur tamen donatio- ne parentis, inter vivos, sicut nec priuantur filij hereticorum.
- 12 Textus in l. quisquis, C. ad l. Iuliam maiestatis, nihil de donatione disponit, sed tantum de succes- sione: at successio testati, & intestati nihil commu- ne habet cum donatione.
- 13 Ex incapacitate succedendi ex testamento, vel ab intestato non bene inferitur incapacias acquirendi ex donatione.
- 14 Licet videatur militare in sententia Gantis eadem ratio de donatione ac successione, tamen in pœnali- bus non est arguendum ex identitate rationis.
- 15 Textus citatus ponderatur ubi disponit dictos filios esse in perpetuum egenos, & pauperes, quod tamen cum sit sub dubio, non est extendendum ob dictam pœnalitatem.
- 16 Filij, & filia reorum læsæ Maiestatis, priuantur modo quo supra dicebatur, donatione causa mortis.
- 17 Donatio causa mortis sapit naturam ultima vo- luntatis, & sic æquiparatur successioni ex testa- mento.
- 18 Filij reorum læsæ Maiestatis contrahunt pœnam infam- iæ, dummodo delictum sit notorium, nec possit illa revocari ratione celari.
- 19 Delictum læsæ Maiestatis ad hoc ut reorum filios in- famia afficiat debet esse notorium per sententiam, cum sine ea non videatur satis probum.
- 20 Filij reorum læsæ Maiestatis non possunt ut infames ascendere ad sacros ordines, & Ecclesiasticas dignitates.
- 21 Nomine filiorum veniunt filij emancipati post deli- ctum, quia præsumuntur in fraudem emancipati, secus si multo ante delicti conspirationem emanci- pati fuerint.
- 22 Nomine filiorum veniunt etiam filij naturales, & spurij, qui cerè sint filij parentis delinquentis, ne plus honoris deus luxuria, quam castitati.
- 23 Item veniunt filij post delictum parentum geniti, non ante, etsi contrarium sit etiam satis proba- bile.
- 24 Nomine filiorum ob tale delictum non veniunt clerici, quia ratione dignitatis censentur exempti.
- 25 & 26. Clerici filij reorum læsæ Maiestatis non sunt inhabiles ad beneficium, & multo minus priuantur beneficiis acquisitis.
- 27 Item nomine filiorum quoad hanc pœnam non veniunt filia sœmæ.
- 28 Item non veniunt nepotes, quia nec ipsi exprimu- tur, & in materia odiosa non veniunt nisi expri- mantur.
- 29 Filij committentes crimen læsæ Maiestatis humane, æquiparantur filiis committentis crimen heresis, & ita sicut pœne hereticorum extenduntur ad nepotes via masculina, ita etiam extendi debent in crimine læsæ Maiestatis humane.
- 30 Filij mulieris & non patris committentis crimen læsæ Maiestatis humane non incurrunt pœnas supra- dictas.
- 31 Crimen læsæ Maiestatis humane in muliere non con- tingit, & leges accommodantur ad ea, quæ fre- quenter accidunt, & casti, quo contingat, est lenioris considerationis.
- 32 Pœna contenta in citata lege contra filios & filias reo- rum læsæ Maiestatis humane consuetudine derogata videtur, & ab hac consuetudine non esse in indi- cando recedendum, sentiunt Doctores.
- 33 Pœna contenta in citata lege licet non sint derogate, habent locum in filiis, & filiabus, si crimen sit com- missum à patre contra Imperatorem, vel Regem, vel eius lateri assistentem.
- 34 Lex quisquis, citata solum loquitur de crimine læsæ Maiestatis commisso adversus Imperatorem, Consi- liarios,

liarios, & Senatores eius, eosque qui ei militant; & ideo non est extendenda ad crimen læsæ Maiestatis commissum contra Rempubicam, vel Principem inferiorem.

35 Nomine Principis in casu priuationis immunitatis venit qui supremam habet iurisdictionem, & nemini est subiectus, ut Pontifex, Imperator, Rex Hispaniarum, Rex Gallia, Anglia, Polonia, &c.

36 Item venit Magnus Dux Florentia, Austria, Sabaudia, Saxonia, Parma, & similia: Dux Reipublicæ Venetæ, vel Ianensis, & Magnus Magister Equitum S. Ioannis.

37 Item ex non improbabili sententia DD. venit etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, etsi capellum à Papa nondum acceperit. Non item Episcopus, nec summi Pontificis Nuncios.

38 Non reuelantes, coniurantes, vel conspirantes, vel machinantes in personam Cardinalis (ante vel post delictum commissum) & eorum fautores, receptatores, nedum qui positivè offendit personam Cardinalis, incidunt in crimen læsæ Maiestatis.

39 Cardinales æquiparantur Regibus, & faciunt unum corpus, & consistorium cum summo Pontifice, & sunt speciali modo membra illius, & filij Ecclesiæ Catholica.

40 Inter Pontificem, & Cardinales non solum unio, sed etiam unitas, & identitas quædam intercedit.

41 Occisor Cardinalis nedum Episcopi in sententia Farinacii, Ecclesiæ immunitate non priuatur.

42 Prelatus Ecclesiasticus debet in tali casu reum cautum servare, & interim Pontificem certiores reddere.

43 Offendens Principem ad hoc ut priuatur immunitate, debet ei esse subditus aliquo modo, v. g. ratione originis, vel domicilij.

44 Extraneus offendens Principem non incurrit crimen læsæ Maiestatis, & propterea immunitate non priuatur.

45 Quilibet offendens Papam committit crimen læsæ Maiestatis, & propterea immunitate priuatur.

46 Item probabiliter quilibet offendens Cardinalem.

47 Non item quilibet offendens Principem secularem, quamvis hunc reum facile debeat Papa immunitate priuare.

Respondetur, quod immunitate priuatur, qui committit crimen læsæ Maiestatis in personam Principis, non quidem spectato iure communi (uti censent Sarpus de iure Asylorum cap. 5. fol. 51. & quidam alij mori ex eo quod tale crimen detestabilius est homicidio proditorio, quia obstat iis textus in cap. inter alia, de immunit. Eccles. concedens immunitatem quibuscumque, quantumvis gravia crimina committentibus, exceptis quibusdam ibi: sicuti rectè notantur Boss. tit. de captura, num. 32. Scortia theor. 387. Villagut de extensione legum, cap. fin. num. 5. & Guttier. pract. qq. Civil. lib. 4. q. 4. n. 3. & 9.) sed spectata Constitutione Gregorij XIV. in qua expresse priuatur immunitate reus criminis læsæ Maiestatis in personam Principis.

2 Et meritò, quia tale delictum est atrocissimum, itavt morte infami puniatur, & puniatur etiam affectus, effectu non sequuto, bona acquirantur fisco, deque huiusmodi delicto etiam post mortem possit cognosci, & rei memoria damnari, l. quisquis, Cod. ad l. Iuliam Maiest. & ita docent communiter Doctores, Bossius tit. de crimine læsæ Maiestatis, Gig. eodem tit. Layman lib. 4. tract. 6. c. 3. n. 9. Scortia cit. theor. 387. Sà, & alij passim.

Specata itaque Constitutione Gregorij XIV. immunitate priuatur, qui committit crimen læsæ Maiestatis in personam Principis, exercendo scilicet actionem aliquam in damnum, & offensum Principis, verbi gratia occidendo, vulnerando, percutiendo, coniurando, machinando, hostiliter insequendo personam Principis, vel reuelando hostibus secretum Principis, ut ab illis capiatur. Idem dico de consulentibus, auxiliantibus, vel fauorem præstantibus, quia & isti omnes etiam sunt rei criminis læsæ Maiestatis in personam Principis. Secus dicas de ratum habentibus, vel defendentibus delinquentem post factum, & de scientibus delictum in personam Principis perpetrandum, & non reuelantibus, quia licet isti vtplurimum sint rei criminis læsæ Maiestatis, non tamen sunt rei criminis læsæ Maiestatis in personam Principis; notanda namque est illa particula in personam Principis, quæ non frustra apponitur & actionem positivam indicat: rati habitio autem, & reuelandi omisio non importat huiusmodi actionem, & influxum positivum: Doctores, quos sequitur Peregrinus cap. 10. num. 11. contra Farinacium in append. cap. 14. num. 186. & Marium Italian lib. 1. cap. 3. §. 7. numero 52.

An autem immunitate priuatur, qui committit crimen læsæ Maiestatis in personam Principis, etiam si effectus sequutus non sit, ut si quis dedit consilium, vel mandatum percutiendi, vel occidendi Principem, sed percussio, vel occisio sequuta non fuit?

Respondetur ex dictis affirmatiuè, & vltèrius probatur, quia adhuc vetum est dicere, delinquentem istum esse reum criminis læsæ Maiestatis in personam Principis, iuxta Constitutionem Gregorij XIV. Vide Clarum in pract. §. crimen læsæ Maiestatis, num. 16. vers. scias autem, Farinacium tom. 2. in tit. de crimine læsæ Maiestatis, quest. 11. num. 91. & quest. 116. §. 4. & Peregrin. cap. 10. num. 7. & cap. 11. num. 1. secus dicas de ratum habente, quia rati habitio est posterior factò, & in crimen non influit. Secus etiam dicas de sciente, & non reuelante, quia talis non est reus criminis læsæ Maiestatis in personam Principis, per actionem scilicet positivam, ut requirere videtur illa particula in personam Principis, cum ly In, importare videatur actionem positivam, non autem negativam, uti supra dictum est, & dicitur infra sect. 5. in fine.

His adde, quod non solum puniantur in fine rei principales pœnis supradictis, sed etiam puniantur ipsorum filij, successionem parentum, tum aliorum consanguineorum, & extraneorum, l. quisquis, leg. Fily, Cod. ad l. Iuliam Maiest. in quo filij istorum magis ac filij hæreticorum (de quorum pœnis dixi lib. de Parlanensis, dub. 4. sect. 19. subsect. 31. corollar. 7. sub. orollar. 3.) puniuntur, sicuti rectè notarunt Gomez de delictis, cap. 2. num. 13. Decian. tract. crimin. lib. 7. cap. 31. num. 2. Menoch. consil. 175. num. 2. & seq. lib. 3. Farinac. de crimine læsæ Maiest. q. 116. num. 75. & Sanchez lib. 2. moral. cap. 29. num. 13. quia filij hæreticorum secundum probabiliorem opinionem Doctorum succedunt ex testamento, & ab intestato ascendentibus, consanguineis, & extraneis Catholicis.

Quamvis si tempore, quo pater crimen commisit, hæreditas matris, vel aviæ sit filio delata, filius ea non priuatur ex crimine patris, quia iam habet ius quæsitum ad illam, & iure quæsitò non priuatur filius ob crimen patris, etiam si possessionem rei nondum apprehenderit. Grammatic. decis. 6. n. 13. & Farinac. cit. quest. 116. n. 110. & colligitur ex l. 2. ff. de interd. & relegal.

Item & puniuntur etiam filia (licet hæ legitima in bonis paternis non priuatur, cit. l. quisquis, §. ad filias, & redditur ibi ratio, quia filia propter sexum infirmitatem minùs auluræ creduntur, quàm mares,

& notarunt Doctores, quos citat, & sequitur Decian, *capite 41. num. 13.* & Farinac. *numero 94.* Quin etiam ex bonis parentis condemnati dotandæ sunt. Doctores, quos citat, & sequitur idem Farinacius 1. *par. tit. de delictis, & pœnis, q. 24. numero 47.*) tamen priuantur similiter ac filij successione parentis, cum bona illius sint fisco addicta, & applicata; quamvis similiter ac filij non priuantur etiam successione aliorum consanguineorum, & extraneorum: quia textus in citata l. *quisquis*, distinguit inter filios, & filias; & filios dicit istorum successione priuari, nihil disponens de filiabus. Quapropter dicendum, quod hæc quoad istorum successione non priuantur similiter ac filij; quia quoad hoc comprehendendi non debent, cum non exprimantur in lege sic rigorosa, & pœnali. Decianus *cit. capite 41. num. 12.* Greg. Lop. l. 2. *part. 7. gloss. penult. Mol. de inst. tom. 3. disp. 658. numero 13.* in priori parte Sanchez lib. 2. *Moral. cap. 29. numero 10.* Clarus *pract. crimin. §. læsa Maiest. n. 10. vers. hæc autem pœna*, & Gigas *de crimine læsa Maiest. q. 41.*

Dixi, quod filij, & filia committentium crimen læsæ Maiestatis humanæ priuantur successione parentis, &c. quia non priuantur donatione parentis inter vivos, sicut nec priuantur filij hæreticorum. Moueor (quidquid in contrarium dixerit Gigas lib. 3. *rubr. de pœnis, quas filij incurrunt, q. 2. in fin.*) quia citata lex *quisquis*, nihil de donatione disponit, sed tantum de successione: at successio testati, & intestati nihil commune habet cum donatione, l. *verbo contraxerint, ff. de verbor. significat.* Ergo ex incapacitate succedendi ex testamento, vel ab intestato non bene infertur incapacitas, acquirendi ex donatione, l. *inter stipulantem, §. sacram, ff. de verb. obligat.*

Dices, militare in præsentem eandem rationem in donatione, ac in successione. Sic Gigas *suprà.*

Respondetur, id non sufficere, ut dispositio dictæ legis *quisquis*, ad donationem etiam extendatur; cum sit illa valde odiosa, & pœnalis; & sic ex identitate rationis non sit facile extensio concedenda.

Instabis, non tam ex extensione rationis, quam ex dispositione legis ipsius donationem comprehendendi, ibi, *sint perpetui egentes, & pauperes*; quibus verbis videtur legislator velle filios sic delinquentis in paupertate perpetua existere.

Respondetur, id clarè non constare, sed esse sub dubio: at in dubio in materia pœnali non est facile concedenda extensio, ut *suprà* dicebamus: & sic in præsentem casu sentiunt Gregor. Lop. Molina, Sanchez, Decianus, & Farinacius *locis supra citatis*, & Peregrinus *de iure fisci lib. 3. tit. 9. n. 11.*

Ex dictis tamen sequitur, quod priuantur filij, & filia modo, quo *suprà* dicebatur, donatione causa mortis; quia hæc donatio sapit naturam ultimæ voluntatis, & sic æquiparatur successioni ex testamento, §. 1. *Instit. de donation. & l. fin. Cod. de donat. causa mortis*, & docent Baldus in l. *tam is, §. filius, ff. eodem*, Gigas *loco supra cit. q. 3.* Decianus *cap. 41. numero 22.* & Farinac. *cit. quest. 116. num. 114.*

Adde, quod iidem filij contrahant pœnam infamiae, *cit. l. quisquis, §. filij verò*, ibi: *Infamia eos paterna semper comitetur*; ad nullos prorsus honores, ad nulla sacramenta perveniant. Debet tamen, ut quod dixi, locum habeat, delictum esse notorium, ut tergiversatione celari non possit; quinimò ex probabili sententia Doctorum debet esse notorium per sententiam; ita ut donec sententia non accedit, non videatur delictum satis probatum ad hanc pœnam aliis à delinquente contrahendam.

Ex hac pœna infamiae infertur, non posse tales ad sacros ordines & Ecclesiasticas dignitates ascendere, quia licet potestas laica non possit pœnam irregularitatis imponere; tamen quia hæc imposita est à potestate Ecclesiastica vnicuique infami, consequens est, quod ij eam contrahant. Decian. *lib. 7. cap. 41. num. 30.* Anton. Gomez. *tom. 3. var. cap. 2. num. 13.* Gigas *lib. 3. de pœnis, q. 1. num. 6. & q. 12. numer. 1.* Peregrinus *de iure fisci lib. 3. tit. 9. num. 1.* & Farinacius *q. 116. num. 83.* sub hac pœna infamiae plures alia pœnae comprehenduntur, cum infamibus plura alia interdicta sint.

Nomine filiorum hic veniunt filij emancipati post delictum, quia præsumuntur in fraudem emancipati; sicut si multò antè delicti conspirationem emancipati fuerint; colligitur ex *cit. l. quisquis, §. emancipatione*; & docet ibi Gloss. *vers. non valeant*, & communiter Doctores, quos refert Baiardus ad Clarum, §. *læsa Maiest. numer. 20.* Gigas *q. 6.* & Farinacius *quest. 11. numero 84. & seqq.*

Secundò veniunt filij naturales, & spurij, qui certò sint filij parentis delinquentis, ne plus honoris detur luxuriæ, quàm castitati. Gigas *quest. 7.* Farinacius *n. 86.* Clarus *pract. §. læsa Maiest. n. 11.* & Decianus *lib. 7. c. 41. n. 5.*

Tertiò veniunt filij post delictum parentum geniti, non ante, *lib. 6. tit. 27. part. 2.* & docent Clarus *loco supra citato, numero 12. vers. fuit etiam*, Diaz *reg. 165. numero 2.* Farinacius *numero 92.* & alij multi, quos refert, & sequitur Cevallos *pract. qq. capite 653.* etiam contrarium sit etiam satis probabile.

Non tamen veniunt clerici, quia ratione dignitatis videntur exempti. Gigas *quest. 9.* Boërius *tract. de sedition. quest. 6. numero 3. & 23. in fin.* & Farinacius *numero 117.* Quapropter hi non sunt inhabiles ad beneficia, & multò minus priuantur beneficiis acquisitis.

Item nec veniunt quoad hanc pœnam infamiae filia: foemina; quia in citata lege *quisquis*, non exprimuntur filia: in hac pœna, sed solum filij; at sub nomine filiorum in materia odiosa non veniunt filia: Gigas *q. 14.* Decianus *num. 12.* & Farinacius *numero 97.*

Item nec veniunt nepotes, ob eandem rationem; quia nec hi exprimuntur, & sub nomine filiorum in materia odiosa nec veniunt nepotes. Decianus *in tract. crimin. lib. 7. cap. 41. num. 7.* & alij. Accedit, quod ut in crimine hæresis ad nepotes via masculina pœnae descenderent, necesse fuit, nepotes exprimi: ergo cum in præsentem casu non exprimantur nepotes, sed filij solum exprimantur, filij solum comprehenduntur. Quamvis contrarium, scilicet filios committentis crimen læsæ Maiestatis humanæ æquiparari cum filiis committentis crimen læsæ Maiestatis diuinæ, seu crimen hæresis; & sic, sicut pœna hæreticorum extenduntur ad filios, & nepotes via masculina descendentes, & ad solos filios via feminina, idem de his filiis dicendum esse sentiant Clarus *pract. §. læsa Maiestatis, num. 13.* Peregrinus *de iure fisci lib. 3. tit. 9. num. 5.* Gomez *de delictis tom. 3. cap. 2. num. 15.* & Farinacius *quest. 116. num. 89.* sed minus rectè, ut patet ex dictis.

An autem si mater, & non pater, commiserit crimen læsæ Maiestatis humanæ, filij eodem modo incurrant pœnas supradictas.

Respondetur, ex probabili negatiuè, quia in citata lege *quisquis*, nihil statuit contra filios, cum mater hoc crimen commiserit; & ex alio capite odia non sunt amplianda. Accedit, quod talis casus raro contingit, & leges accommodantur ad ea, quæ frequentius accidunt. Accedit secundò, quod etiam quando

- quando contingat, est id leuioris considerationis, cum non timeatur propter illud filios, & filias audaciam matris esse imitaturas. Albertinus in *dicta lege quisquis*, n. 4. Odofredus *ibidem*, n. 4. Salicetus n. 9. Gigas 9. 17. n. 3. & *seqq.* & Decianus *cap.* 41. n. 14. contra Doctores plures, quos refert, & sequitur Farinacius 9. 116. num. 98.
32. Ceterum prædictæ poenæ contentæ in citata lege *quisquis*, aduersus filios, & filias committentis crimen læsæ Maiestatis humanæ consuetudine derogatæ videntur. Doctores, quos citat, & sequitur Farinacius, loco *supra citato*, n. 14. & *seqq.* aded vt subdat, in iudicando non esse ab iis Doctoribus de hac consuetudine attestantibus recedendū. At dato, quod non sint consuetudine derogatæ, locum solum habent in filiis, & filiabus, si crimen sit commissum à patre contra Imperatorem, vel Regem, vel eius lateri assistentem, vt multis Doctoribus relatis docet idem Farinacius num. 125. & probatur ex lege *eorum*, ff. *ad legem Iuliam Maiest.* iuncta glossa, vbi expresse dicitur, bona damnatorum ex hoc crimine fisco applicari, si damnati non habeant filios, secus si habeant: quod pugnat cum eo, quod dicitur in lege *quisquis*, & leg. 1. *Cod. de bonis qua liberis*, & l. 4. ff. *de interdict.* Quapropter vt discordes non sint inter se leges, dicendum est, has leges posteriores loqui de crimine læsæ Maiestatis commissio contra Principem: & legem *eorum*, priorem loqui de aliis casibus læsæ Maiestatis, de quibus in l. 1. 2. & 3. ff. *ad legem Iuliam Maiest.* vt recte notauit præter alios
34. Clarus loco *supra citato*, num. 15. Accedit, quod lex *quisquis*, solum loquitur de crimine læsæ Maiestatis commissio aduersus Imperatorem, Consiliarios, & Senatores eius, eosque, qui ei militant, & ex alio capite leges, præsertim penales, extendi non debent ad alias personas, præter ibidem expressas, & consequenter extendi illa non debet ad crimen læsæ Maiestatis commissum aduersus Rempublicam, vel Principem inferiorem Imperatore, vel Rege, etiam si superiorem non recognoscat, vt recte notauit præter alios Fachin. lib. 9. *controuers.* c. 32.
35. At quidquid sit de hoc, nomine Principis in casu nostro priuationis immunitatis Ecclesiæ venit, qui supremam habet iurisdictionem, & nemini est subiectus, qualis est, v.g. Pontifex, Imperator, Rex Hispaniæ, Rex Galliarum, Angliæ, Poloniæ, &c. item ex probabiliori sententia Doctorum venit Dux Florentiæ, Austria, Sabaudia, Saxoniæ, Parmæ, & similes. Item Dux Reipublicæ Venetæ, vel Ianuensis, & Magnus Magister Equitum S. Ioannis, sicuti tradunt Iul. Clar. §. *læsæ Maiestatis*, num. 2. Decian. *tratt. crim. lib.* 7. *cap.* 32. num. 7. Peregrin. *de immunit. cap.* 9. num. 4. Farinacius in *append. de immunit. cap.* 14. num. 188. & de homicidio *quæst.* 112. num. 176. Ambrosin. *de immunit. cap.* 9. num. 5. & Mar. Ital. *de immunit. Eccles.* *cap.* 6. §. 7. num. 18. Item ex non
37. improbabili sententia DD. venit si non Episcopus, quin neque S. Pontificis Nuncius, siquidem Gregorius loquitur de offendentem personam ipsiusmet Principis. Doctores communiter, quos citat, & sequitur Farinac. in *append. cap.* 145. & Mar. Italia lib. 1. §. 7. *cap.* 29. saltem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, etsi Capellum à Papa nondum acceperit, sicut docent Clarus §. *læsæ Maiestatis*, num. 4. Peregrin. *de immunit. cap.* 9. num. 5. & *cap.* 11. num. 2. Gambacurta *de immunit. lib.* 5. *cap.* 44. n. 5. Mar. Ital. lib. 1. *cap.* 5. num. 16. & §. 7. num. 11. Cutellius *de immunit. Eccles.* lib. 1. §. 20. num. 3. & 12. & Diana *part.* 1. *resol.* 20. & *part.* 5. *tratt.* 2. *resol.* 86. 87. 90. & 91. Quia ex *cap. felicis de penis in 6.* & ex Bulla *pri V. quæ incipit:*
38. *In felicis saculi, vers. quicumque*, incidit in crimen læsæ Maiestatis, qui non reuelat coniurantes, vel conspirantes, vel machinantes in personam Cardinalis (ante, vel post delictum commissum) & eorum fautores, receptatores, &c. nedum qui positivè offendit personam

Cardinalis, & meritò; quia Cardinales æquiparantur Regibus, & Principes Ecclesiæ Romanæ vocantur, & faciunt vnum corpus, & Consistorium cum Summo Pontifice, & sunt speciali modo membra illius, & speciali modo filij Ecclesiæ Catholice, *cit. cap. felicis, §. 1. de penis in 6.* & multis in id collatis iuribus probat Clarus loco *supra cit.* (aded quod, vt dicebamus, & recte notauit Ioan. Andreas in *cap. requisisti de testam. num.* 12.) inter Pontificem, & Cardinales non solum vnio, sed etiam vnitas, & identitas quædam intercedat, & propterea quidquid fauer, vel nocet Cardinalibus, fauere, vel nocere Sedi Apostolicæ intelligatur, & è contra, licet Regiam quasi dignitatem habeat, & Principi æquiparetur, d. *cap. felicis, de penis in 6.* non sit tamen propriè supremus Princeps superiorem non habens, de quo loquitur Constitutio Gregorij XIV. sic sentit Farinacius in *append. de immunit. c.* 13. n. 185. & 192. vbi propterea ait, quod etiam occisor Cardinalis, nedum Episcopi, Ecclesiæ immunitate non priuetur: etsi subdat, quod ad cautelam debeat Prælati Ecclesiasticus in tali casu Pontificem certiores facere, & interim cautè reum seruare.

Requiritur tamen ad hoc, quod offensus Princeps immunitate priuetur, quod Princeps offensus sit Princeps respectu offendentis, seu offensus sit ei subditus ratione originis, vel domicilij; itavt licet delinquens in aliquo territorio sit subditus ratione delicti, non tamen dicatur committere crimen læsæ Maiestatis, nisi ratione domicilij, vel originis sit subditus Principi, in cuius personam delictum commisit, sicuti clarè constat ex *Clement. pastoralis, de appellat.* in qua, cum inter cætera ageretur, an Rex Siciliæ commiserit crimen læsæ Maiestatis, Summus Pontifex negatiuè responder, quia non erat subditus ratione domicilij, vel originis, ibi: *Rursus non est silentio relinquendum, quod ipse Rex noster, & Ecclesiæ Romanae ratione Regni prædicti notoriè subditus, homoque ligius, ac vassallus, ac in eodem regno, vel ut præmittitur, in Imperio certum, continuum, ac notorium suum habens domicilium, ac originem inde trahens, Imperatori eo modo non subsuit, quo in eam crimen læsæ Maiestatis commiserit, quantumlibet omnia in sententia prædicta contenta veritatem indubiam continerent, & docent ex communi ibi gloss. Imola, Zabarella, & alij Canonistæ, Boëtius de seditionis, col. 18. vers. præsuppono etiam sexiò, Bonacina de legib. disp. 3. §. 7. de immunit. Eccles. §. 4. n. 22. Lezana verb. Immunitas Eccles. num. 15. Rolandus lib. 1. *consil.* 4. num. 5. Clarus in *pract. §. læsæ Maiestatis*, n. 7. Diaz *pract. c.* 119. n. 1. in prin. Farinac. de homicidio, 9. 112. n. 240. & in *append. de immunit. cap.* 14. n. 191. Anton. Gomez de delictis, *cap.* 2. n. 10. Scortia theorema, 387. Ambrosinus de immunit. Eccles. *cap.* 9. n. 6. Mar. Ital. de immunit. lib. 1. c. 5. §. 7. num. 48. & *seqq.* Megal. in 3. p. lib. 4. *cap.* 2. §. 1. num. 23. Peregrin. de immunit. Eccles. *cap.* 9. num. 8. Gambacurta lib. 5. *cap.* 41. num. 2. Decianus lib. 7. *cap.* 8. num. 3. & Diana *part.* 1. *tratt.* 1. *resol.* 7. contra Cutellium de immunit. Eccles. lib. 1. §. 7. num. 21. & *seqq.* & alios, quos citat num. 38.*

Hinc inferitur à præcatis Doctoribus, crimen læsæ Maiestatis contra Summum Pontificem committi posse ab omnibus, tam laicis, quàm Clericis quacumque dignitate fulgentibus, vbicumque existant, etiam si ei in temporalibus subditi non sint; quia territorium Summi Pontificis est vniuersus orbis, cum ipse sit Christi Vicarius, suamque iurisdictionem exerceat in toto Orbe. Idem de offendentem Cardinalem (etiam si offensus non sit ei subditus in temporalibus) restatur Farinac. de *carcer.* 9. 112. n. 100. Gigas de crimine læsæ Maiest. lib. 1. n. 1. *qualiter*, & à quibus crimen læsæ Maiest. committitur, 9. 2. n. 10. Peregrin. c. 9. n. 7. & ratio desumi potest ex prædictis num. 38. & *seqq.* Non tamen idem dicas de offendentem Principem sæcularem, si offensus

offendens non sit ei subditus ratione domicilij, vel originis, ut dicebam, quamvis Papa facile posset, & deberet privilegium immunitatis priuare quemcunque talem delinquentem, qui tam graue scelus in personam alicuius Principis, vel Regis committere ausus fuisset, etiam si alias subditus ei non esset, neque ratione domicilij, neque originis.

SECTIO II.

Difficultates, earumque solutiones.

S Y M M A R I V M.

- 1 *Extraneum offendens Principem licet non subdit ei ratione originis, vel domicilij, subest tamen saltem ratione delicti, ex quo videtur ex mente Cuthellij committere crimen læsæ Maiestatis.*
- 2 *Sicuti forum rei sita in ciuilibus, ita in criminalibus forum delicti foro originis, & domicilij potentius est.*
- 3 *Extraneus offendens Principem subest ei saltem ratione delicti concomitanter ad delictum, ita ut post delictum ei subdit, & ita priuatur immunitate, secus si antecederet ad delictum non erat ei subditus.*
- 4 *Extraneus furans in Diocesi Episcopi, qui furtum prohibuit sub censura, censuram non incurrit si antecederet ad delictum non erat ei subditus.*
- 5 *Ius loquendo de lædentibus maiestatem, includit omnem, qui in maiestatem delinquit: propositio vera est si antecederet ad delictum erant subditi, secus si tantum concomitanter.*
- 6 *Non subditi, & liberi etiam dato fœdere possunt retineri, & puniri ut rei simpliciter, secus ut rei læsæ Maiestatis formaliter.*
- 7 *Infidelis offendendo Pontificem, utpote ei non subditus, non committit crimen læsæ Maiestatis, secus si ei subdit ut Principi seculari ratione domicilij, vel ratione originis.*
- 8 *Infidelis gauderet immunitate offendendo Pontificem si ei non sit subditus, ut Principi seculari, in sententia extendentium immunitatem ad infideles.*
- 9 *Delicta leniora sepe magis puniuntur, quam grauiora, quia frequentius illa accidunt, vel ex aliqua alia causa, quæ mentem legislatoris mouit.*

O Biciis ex Cuthellio. Extraneus offendens Principem, licet non subdatur ei ratione originis, vel domicilij, subditur tamen saltem ratione delicti: ergo adhuc offendendo Principem committit crimen læsæ Maiestatis. Consequentia patet: antecedens probatur ex *Aub. si qua in prouincia, C. ubi de crimine agi oportet*. Quinimò sicuti forum rei sita in ciuilibus, ita in criminalibus forma delicti foro originis, & domicilij potentius est, ex *diel. Aub. si qua in prouincia, & Aub. de consul. & Aub. de mandat. Princip. c. postulasti 14. de foro compet. c. consult. in 7. c. 1. de rapt. c. 1. de priuileg. in 6. & Concil. Trid. de reform. sess. 7. c. 14. & colligitur ex ipsa cit. Clement. Pastoralis, & tradunt communiter Doctores, quos citat, & sequitur Cuthellius in *Cod. Siculo ad legem par. nota 7. n. 9 & 10. Donellus comm. iur. ciuil. lib. 17. c. 16. tom. 2. Morla in emp. part. 1. tit. 2. q. 20. n. 10. Cabed. decis. 16. part. 1. Cald. consil. 23. n. 5. & Barbosa appellat. 101. n. 4. & 5. ubi allegans Hieronymum Buccarum in differ. iuris ciuil. & crimin. differ. 130. n. 16. ait in hoc differre ciuilia à criminalibus, quod si in his contra personam agatur, forus loci delicti est potentior foro domicilij.**

Respondetur, distingo antecedens: extraneus offendens Principem subditur ei saltem ratione delicti concomitanter ad delictum, ita ut post delictum, & ratione delicti ei subdatur, ut sic possit ab eo puniri ob tale delictum, concedo; antecederet ad delictum, ita ut committendo delictum, illud committat tanquam subditus, nego. Et hoc requiritur ad committendum crimen læsæ Maiestatis, ut patet ex *diel. Clement. Pastoralis*, & confirmatur ex doctrina communi, quam tradam *c. 11. dub. 1. sess. 11. quod scilicet, si quis Episcopus in sua diocesi prohibeat v. g. furtum sub pena excommunicationis ipso facto incurrendæ, extraneus ibi furando possit quidem ob furtum ibi commissum puniri, citari, & si non obediat, tanquam contumax postea ab Episcopo talis diocesis excommunicari, quia ratione talis delicti ibi commissi factus est ei subditus, non tamen ibi furando contrahat excommunicationem furto à dicto Episcopo annexam, & alligatam, quia antecederet ad furtum non erat ei subditus, ut furando contrahere posset excommunicationem, quam Episcopus talis diocesis furto alligauerat: unde patet etiam ad rationes antecedentis: concedo enim, quod extraneus delinquendo in aliquo loco, possit, & potiori ratione puniri à Iudice talis loci, quam à Iudice originis, vel domicilij, quia ratione delicti ei factus est subditus; non tamen hinc inferitur, quod ibi delinquendo in Principem, crimen læsæ Maiestatis committat, quia delinquendo non erat ei subditus, & sic non offendit eum ut subditus, quod ex dictis ad committendum crimen læsæ Maiestatis requiritur.*

Instabis. Ius loquendo de lædentibus Maiestatem includit omnem, qui in Maiestatem delinquit, ut in *l. 5. ibi: Quod tenetur is, & in l. ult. ibi: Nam quisque legis Iulie, ff. ad leg. Iul. Maiest. & l. quisquis, C. eod. quarum quælibet dictio generalis est, ac omnes sine vlla exceptione comprehendit, teste Hloß. in *l. si necessaria, §. si annum, ff. de pign.**

Respondetur. Distinguo antecedens: includit omnem, qui sit subditus antecederet ad delictum, concedo: concomitanter ad delictum, nego.

Reinstabis, in *l. non dubito, ff. de capt. & postlimin. reuers.* clare dicitur, quod non subditi, & liberi, etiam dato fœdere, possint retineri, & puniri, ibi: At fiunt apud nos rei ex ciuitatibus fœderatis, & in eos damnatos animaduertimus: ergo.

Respondetur, distingo antecedens: possint retineri, & puniri ut rei simpliciter, concedo: ut rei læsæ Maiestatis formaliter, nego.

Virgebis. Sequeretur, quod infidelis offendendo Pontificem, utpote ei non subditus, quia secundum Apostolum, *de foris est*, neque crimen læsæ Maiestatis committeret, & immunitate Ecclesiæ gauderet.

Respondetur. Concedo totum, si infidelis neque subdatur Pontifici, ut Principi seculari, ratione domicilij, vel ratione originis, sed solum ratione delicti, etsi sit probabilis opinio eorum, qui docent, Ecclesiæ immunitatem, tanquam localem etiam ad infideles extendijde qua dixi *supra dub. 10. sess. 4.*

Reurgebis. Leuiora delicta immunitate Ecclesiæ priuantur: ergo multo magis priuari debent & hæc.

Respondetur. Nego consequentiam, quia sepe magis puniuntur delicta leuiora, quam grauiora, quia frequentius illa accidunt, vel ex aliqua alia causa, quæ mentem legislatoris mouerit, ut videre est ex iis, quæ dicuntur *infra sess. sequenti, per totam*, & colligitur ex *l. aut facta, §. ult. ff. de pœnis*, ibi: *Nonnunquam euenit, ut aliquorum malefactorum supplicia exacerbentur*, & ex Aristotele in *problematis, sess. 29. ibi: Legis auctor, cum sciret illis in locis dominos res suas custodire non posse, custodem legem addidit.*

SECTIO III.

An immunitate priuetur, qui delinquit in personam Principis superiorem recognoscentis?

SUMMARIVM.

- 1 Committentes crimen laesae Maiestatis in personam Principis superiorem recognoscentis, ut in Principes, Duces, Marchiones, Comites, & Barones Regni, non priuantur Ecclesiae immunitate.
- 2 In constitutione Gregoriana nomen Principis strictè pro Principe supremo accipiendum est.

EX dictis sequitur primò, quod immunitate non priuetur, qui crimen committit in personam Principis superiorem recognoscentis, ut in Principes, Duces, Marchiones, Comites, & Barones Regni, &c. quia cum finis in materia odiosa, & penali, & immunitas Ecclesiae sit fauorabilis propter loci sacri reuerentiam, ut dicebam supra dub. 3. ly nomen Principis in cit. Constitut. Gregorij XIV. strictè, scilicet pro Principe supremo, accipiendum est. Atque ita docent Peregrin. de immunit. Eccles. cap. 9. num. 8. Barbosa. in collectan. tom. 1. lib. 3. tit. 49. cap. 6. num. 10. Farinac. in append. de immunit. cap. 13. num. 187. Bonacina de legib. disp. 3. quæst. 7. punct. 4. num. 7. §. 22. Ambrosinus de immunit. Eccles. cap. 9. num. ... in fin. Mar. Ital. de immunit. lib. 1. cap. 6. §. 7. n. 29. & segg. & Diana p. 1. tract. 1. resol. 6. contra Megalium cit. cap. 2. quæst. 1. num. 22. Gambacurt. lib. 5. cap. 44. & Cutellium de immunit. Eccles. lib. 1. quæst. 6.

SECTIO IV.

An priuetur, qui delinquit in Statum Principis supremi, in uxorem, consanguineos, vel officiales eius?

SUMMARIVM.

- 1 Committentes crimen laesae Maiestatis in statum Principis (quauis supremi) vel in uxorem, consanguineos, Officiales, vel Consiliarios eius, gaudet Ecclesiae immunitate.
- 2 Occidentes fiscum Regium, Praesidem Iustitiae, Consiliarium, vel summum Magistratum lateri supremi Principis assistentem in sententia Cutellij non omnino improbabili, non gaudet immunitate.
- 3 Summus Magistratus assistens lateri supremi Principis facit vnum corpus cum illo.
- 4 Par est & expediens bono publico, quod ita diligenter, & exactè defendatur supremus Princeps cum tribunali supremo suo sumptu, cum quo bonum publicum curat.

SEquitur secundò, quod immunitate neque priuetur, qui crimen committit in statum Principis supremi, ut in uxorem, consanguineos, Officiales, vel Consiliarios eius supremos, v. g. si quis occidat uxorem, filium, aut fratrem, Proregem, Oatorem, Fiscum Regium, vel quemcumque alium Iustitiae Praesidem Principis, etiam in odium Principis, quia licet talis per rebellionem, vel per occasionem uxoris, filij, consanguinei, Officialis, vel Consiliarij Principis resistat, & non obediat Principi, & sic crimen laesae Ma-

iestatis committat, non tamen offendit personam Principis; quod, ut reus immunitate Ecclesiae priuetur, requiritur ex vi Constitutionis Gregorij XIV. alioquin enim frustra ponerentur in constitutione verba illa: *In personam Principis*. Atque ita docent Peregrin. de immunit. ap. 10. num. 13. Marfilius, & Burlatus, quos citat, & sequitur Farinac. in append. c. 14. n. 190. & 192. Ambrosinus de immunit. cap. 9. num. 7. Scortia in Bullar. theorem. 387. Lezana verb. Immunitas, num. 15. Bonac. de immunit. disp. 3. q. 7. punct. 4. n. 22. Diana part. 1. tract. 1. resol. 7. & 20. Siluius in resol. var. verb. Immunitas, fol. 108. Iulius Clarus §. laesae Maiestatis, n. 3. Mar. Italia lib. 1. c. 5. §. 7. n. 20. & segg. & Marcellus Vulpe in praxi crimin. lib. 3. n. 15. contra Cutellium cit. q. 6. num. 25. & Gambacurtam lib. 5. cap. 45. dub. 3. & 4. quorum opinio (ut verum fatear) non omnino improbabili est in casu, quod verbi gratia occidatur Fiscalis Regius, Praeses Iustitiae, Consiliarius, vel summus Magistratus lateri supremi Principis assistens, qui sit pars proprii corporis illius, seu faciat vnum corpus, seu supremum tribunal cum illo, sicuti ex non improbabili sententia Doctorum dicebatur supra §. 1. n. 37. quod offendens Cardinalem immunitate non gaudeat, ex eo, quod Cardinalis faciat vnum corpus, seu consistorium cum Summo Pontifice. Et confirmatur, quia par est, & expediens bono publico, quod ita diligenter, & exactè defendatur supremus Princeps cum tribunali supremo suo sumptu, cum non solitarie, sed cum tribunali supremo suo sumptu bonum publicum curet, & gubernet.

SECTIO V.

An priuetur rebellis, vel qui offendit statuas, vel imagines dicatas Principi, vel quid aliud simile facit contra Principem? Vbi etiam de sciente, & non reuelante.

SUMMARIVM.

- 1 Rebelles, vel offendentes statuas, vel imagines dicatas Principi, licet committant crimen laesae Maiestatis, non tamen in personam Principis, gaudet Ecclesiae immunitate.
- 2 Diffio taxatina (tantum) de sui natura impedit extensionem ad non expressa.
- 3 Cudentes falsam pecuniam, vel bonam rudentes, & omnes alij offendentes Principem in dignitatem, non autem in personam, gaudet immunitate.
- 4 Appellantes a Papa ad futurum Concilium, licet id agentes incidant in crimen laesae Maiestatis, non tamen priuantur immunitate contra Gambacurtam, & Cutellium.
- 5 An non reuelans coniurationem, conspirationem, vel machinationem in personam Principis, sine ante, sine post crimen commissum (priuetur immunitate, est discrimen inter Doctores, & sunt pro utraque parte; negatiua tamen est probabilior.
- 6 Non reuelans coniurationem in personam Principis committit crimen laesae Maiestatis in omittendo, secus in committendo: & quia Constitutio Gregoriana intelligit tantum de committentibus, gaudet immunitate.
- 7 Idem dic de eo qui non reuelat machinationem in personam Cardinalis.
- 8 Casus praedictus est valde dubius, & ideo ex consilio Auctoris, si accidat, est de eo Summus Pontifex certiorandus per Episcopum, & ab eo consilia capienda.
- 9 Fauens, vel receptans offendentem Principem, vel Cardinalem

dinalem per se & formaliter in fauorem criminis commissi in personam Principis & Cardinalis non gaudet immunitate, sicut si per accidens & materialiter, puta ratione amicitiae, consanguinitatis, &c.

10 Si casus contingat ex sententia Diana capiendum est consilium a summo Pontifice.

1 Sequitur tertio, quod immunitate neque priuatur Rebells, vel qui offendit statuas, vel imagines dicatas Principi, etiam in odium Principis, quia licet talis etiam crimen laesae Maiestatis committat, non tamen similiter committit in personam Principis, 2 quod requiritur ex vi dictae Constitutionis Gregorij XIV. vti dicebam, praesertim quia paulo ante ponitur in illa dictio taxatiua tantum, de cuius natura est impedire extensionem ad non expressa, & in eadem sit exceptio casuum per modum formae, cui propterea nihil addi, vel minui potest, sed ad vnguem prorsus seruari debet.

3 Idem propter easdem rationes dicas de eo, qui falsam pecuniam, vel veram, sed contra Principis edictum cudit, vel bonam tundit, tractat de Rege faciendo, viuentem Rege, vel facit, & dicit se Regem, cum non sit, offendit eum, qui saluum conductum habet à Rege, exspoliatur nuncios Regis, vt sciat arcana Regni, & secreta Regis, à militia fugit, cum sit miles militiae, accepta pecunia, adscriptus, imprimit propriam imaginem, sublata imagine Principis, coniurat, vel machinatur, vt inimicis tradatur Regnum, &c. etiam in odium Principis, cum talis etiam non coniuret, & machinetur in personam Principis, nec faciat actionem in offensionem personae Principis, sed solum in offensionem dignitatis, vel status Principis. Atque ita docent Peregrinus, Siluius, & Farinacius in locis supra cit. Mar. Ital. de immunit. lib. 1. c. 5. §. 7. n. 45. Lezana cit. num. 15. Bonac. cit. q. 7. punct. 6. §. 9. num. 5. Diana cit. resol. 7. & 20. & part. 4. tract. 1. resol. 103. & Franciscus Cespedes in dub. Militar. dub. 21. contra Gambacurtam de immunit. lib. 1. cap. 44. dub. 5. Sarpum loco supra cit. & Cutellium de immunit. Eccles. lib. 1. q. 7. Vnde etiam sequitur contra Gambacurtam lib. 7. cap. 5. in fin. & Cutellium q. 17. n. 11. quod neque appellans à Papa ad futurum Concilium immunitate priuatur, etiam stante, & decernente Constitutione Pij II. & Iulij II. id agentes in crimen laesae Maiestatis incidere.

4 An autem, qui nouit coniurationem, conspirationem, vel machinationem in personam Principis, & non reuelat (sive ante, sive post crimen commissum) priuatur immunitate Ecclesiae? 5 Affirmant Farinacius in append. de immunit. cap. 13. num. 186. Mar. Ital. de immunit. lib. 1. c. 5. §. 6. num. 52. & Cutellius cit. q. 7. n. 41. & 42. quia talis reuera committit crimen laesae Maiestatis in personam Principis.

Negant autem probabilius Peregrinus de immunit. cap. 10. num. 111. Bonacina tom. 2. disp. 3. quaest. 7. punct. 7. num. 111. Diana part. 6. tract. 1. resol. 18. & Ghilinus in summa, verb. Crimen laesae Maiestatis, num. 1. lit. C. quia licet talis aliquo modo committat crimen laesae Maiestatis in personam Principis, & sic morte sit dignus, committit tamen proprie crimen laesae Maiestatis in personam Principis omittendo, non autem committendo, quod vltimum requiri videtur in Constitutione Gregorij XIV. cum Pontifex loquatur per dictionem In, quae idem valet, ac Contra; & importat actionem in personam Principis, non autem omisionem, & ex alio capite sumus in materia penali, & odiosa, & immunitas Ecclesiae propter reuerentiam 7 loci sacri sit fauorabilis, vt supra dicebatur. Quapropter ob eandem rationem cum Peregrino cap. 11. n. 5. 8 idem dicas de eo, qui nouit machinationem in personam Cardinalis, & non reuelat: quamvis ad caute-

lam, si talis casus contingat, cum sit valde grauis, & dubius, consulere, quod Episcopus certiores faciat Pontificem, & interim caute custodiat delinquentem. Vide Dian. cit. resol. 90. & 91. & Peregrinum cit. cap. 11. num. 4. vbi cum Megalio in 3. part. lib. 3. cap. 9. q. 1. n. 3. de fauore, & receptatore offenditis Principem, vel Cardinalem recte notat, quod si receptio facta sit per se, & formaliter in fauorem criminis commissi in personam Principis, vel Cardinalis (vt si facta sit, v.g. ne reus à satellitibus comprehendatur, vel ne à Iudice puniatur) receptor non excusetur à poena, & Ecclesiae immunitatem deperdat: si autem non facta per se, & formaliter in fauorem criminis commissi, sed per accidens, & materialiter (vt si facta sit hospitij, amicitiae, vel consanguinitatis gratia) mitiori poena puniatur, & Ecclesiae immunitatem retineat, quamvis quoad hoc vltimum dubius sit Diana cit. resol. 91. in fin. & velit similiter, si casus contingat, consulendum esse Pontificem, quod propter iam supra dictam rationem mihi etiam probatur.

DUBITATIO XXIV.

An excipiantur ab Ecclesiae immunitate aliae causae criminales, praeter supra dictas, saltem grauiiores?

SECTIO I.

Dubitationis Resolutio.

SUMMARIUM.

- 1 Praeter causas supradictas non excipiuntur ab Ecclesiae immunitate aliae grauiiores.
- 2 Decisio capituli inter alia, de immunitate non est extendenda ad alios casus praeter ibi expressos.
- 3 Omnes de iure canonico gaudent immunitate Ecclesiae, exceptis casibus in dicto capitulo inter alia positis.
- 4 Exceptio firmat regulam in contrarium quoad casus non exceptos.
- 5 A regula generali recedendum non est, vbi exceptio non ponitur.
- 6 Qui habet regulam pro se, fundatam habet suam intentionem in casibus non exceptis.
- 7 Dictio taxatiua (tantum) quando adiecta est orationi affirmatiua (vt in constitutione Gregoriana) affirmat illud quod ponit, & negat, & excludit omne aliud, quod est extra modum, & formam eius quod ponitur.
- 8 Afferuntur ad corroboranda quae dicta sunt, verba Constitutionis Gregorianae.
- 9 Formae nihil addi, aut minui potest, sed seruari illa debet ad vnguem.
- 10 Clausula (sublata facultate ei, & eorum cuilibet) &c. appositae in Constitutione Gregoriana, tollit omnem prorsus interpretationem, & extensionem.
- 11 Qui furatur in Ecclesia, gaudet immunitate Ecclesiae.
- 12 Constitutio Gregoriana corrigit ius commune, & provinciale, Doctorum interpretationes, & à paritate rationis ampliationes, consuetudines, & privilegia in contrarium.

Respondetur negatiue, & probatur primo; quia in cap. inter alia, de immunit. Eccles. conceditur immunitas quibuscumque reis, quantumvis grauius